E. 1679[illegible] 1228

# POEMATIA
IN
Elegiaca,
Iambica,
Polymetra,
Antitechnemata et Metaphraſes,
MEMBRATIM
QVADRIPERTITA.

*Dulces ante omnia Muſæ.*
Virg. Geor. lib. 2.

Junii 10. OXONII,
Typis L. LICHFIELD Academiæ
Typog. Impenſis E. FORREST.
M. DC. LVI.

# *LECTORI LECTO.*

TIANTIS hæc Ingenii Parerga ſiccitate *ſabulum* æquantia, *pulvere* partim Gymnaſtico, *arenâ* partim Academicâ, Pöeticum exercuere *tyrocinium*: Quorum Infantiam, cùm edentula ſat fateatur Innocentia, non etiam indicaret Brevitas, Plagiariis abſque foret Militaſtris; qui viaticum rapuere quoque Literarium, proh Latiniſmi

Latiniſmi manifeſtum! & Barbarie penè ſtylum ſuperantes, pro *faſciculo* concremarunt *Foliorum Sylvulam*. Hi verò *ſtolones*, eò quòd privatim repudiati, ſoſpitabantur; damnatique Flammis, aliam, an mitiorem neſcio, ſortiuntur Lucem. Fruebantur Fato ſiremſe cum Naufragis; (ubi ſubſidentibus ponderoſis, leviores [1] ſupernatant merces; procellam mox a *littoreis* ſæviorem paſſuræ) quorum aliqua meditata ſunt ſchediaſmata, [2] citra faſtum loquor, eodem quo ſcribantur ſpatio; eâdem quâ legantur incuriâ. Interim; Aglauri more, perniciem a Pallade meâ mihi videar accerſere, quòd Infantulum *Pedes* tam deformem auſim propalare. Sed quìd mî epiſtolarem curatio eſt Apologiam? Qui

4 Non recito cuiquam niſi amicis, idq; coactus;
1 Non ubivis, coramve quibuſlibet.

Scilicet 5 ἀναγκοφαγήσας τὰ πρόγματα, multeſimo

# LECTORI

teſimo huic libello, in Autorem licèt *famoſo*, cogor ſubſcribere; Minervæque meæ Cineres, ante vitam Typographicam extinctæ, velut Cerebelli *caput mortuum* cuſtodire.

[6] Sanctior eſt ſalvâ parva Tabella Rate.

Vale.

*Pridiè Calendas Februarias. A. Æ. Ch.* M. DC. LVI.

H. Birchedus.

(1) Ἐπιπολάζουσι. *Ariſtot. Meteorol. l. 1. c. 2.* (2) *Præfiſcini dixerunt:* ἀπαθὴς Ἀδράστεια. (3.) *Ovid. Metam. l. 2. fab. 15.* (4.) *Horat. l. 1 ſat. 4.* (5) *Sic Theopompus Philippum Macedonem exprimit, infortunia neceſſaria placidè ſubeuntem. Frag. Græc.* (6) *Mart. l. 7. Ep. 18.*

BRITISH
MUSEUM

# RELECTIONES.

*Humane* Lector, e multis pauca Sphalmata, præmonitus corrigere digneris: Plerumque non rectà tendimus, niſi cùm erraverimus.

---

PAg. 2. verſ. 7. dempſit, *leg* adimit.
p. 2. v. 10. Præbet, *leg.* Fecit.
p. 4. *lin.* 19. Mordet, *leg.* Momordit.
p. 8. v. 4. Nimis, *leg.* Capro.
p. 16. v. 6. Adrogyno, *leg.* Androgyno.
p. 11. v. 7, 8. Servabat vox rauca ſemel; vocalior ore
Sed vetat æternum mortua penna mori.
*leg.*
Servabat *Vox* rauca priùs; ſcribente *Luthero*,
Fregit Tarpeios *Penna* diſerta lares.
p. 17. v. 2. fuit *leg.* erat; hoc item diſtichon ſubjungas.
Quin Corpus Sibi vixit Onus; *grave* oletq; Sepulchros
Mens quoq; Pondus habet; nam fuit Iſta, Caro.
p. 29. *l.* 1. Adolphum, *leg.* Guſtavum.
p. 43. v. 7. Proœmium, *leg.* proœmium.
p. 43. v. 15. Uterq; ſpirat & renaſcitur parens. *leg.*
Parens uterq; ſynchronus renaſcitur.

p. 46.

p. 46. v. 12. At *leg.* Sed.
p. 50. *l.* 1. defæcatissimo. *leg.* limpidissimo.
p. 61. v. 11. Thalamos *leg.* Nutus.
p. 65. v. 8. Aurium *leg.* Cordium.
p. 65. v. 18. Littera Litteræ. Annotes; Quartus pes Scazontis Anapæstum admittit Græcanicè. vid. Martial. lib. 1. Ep. 20 Naviculatur. Sin scribendum sit Navic'latur, juxta meam correctionem; tunc legere placeat,

Fit littera Laconum una, Litteræ totæ.

p. 72. v 3. Hominis gestiens. Integrum constituat versiculum.
p. 76. quarto quintoq; versibus, hunc interseras;

Grande, citò Duci e nihilo, in nihilũq; Reduci:

p. 88. ultimo versui subscribas; *Francis L^d Bacon Viscount of S^t Albans.*
p. 91. v. 13. alumna *leg.* amœna.
p. 95. *l.* 1. Ρυθμοῖς Ηροικοῖς ἀκροτελεύτοις, *leg.* Ηρωικοῖς ὁμοιοτελεύτοις.
p. 99. v. 10. ἠρέμισαι & μετεώρισαι, *leg.* ἠρεμίσαι & μετεωρίσαι.
p. 101. v. 18. αἰδὴν *leg.* αἴδην.
p. 102. v. 3. Mathesin. Annotes; Scire facit Mathesis, sed divinare Mathesis. Acc. Ut Ανάθημα & Ἀνάθεμα sunt diversæ scriptionis.
p. 114. v. 25 *piercing* leg. *Judgeing.*
p. 115. v. 24. Turgentiore in solia tollunt ambitu. *leg.* In Solia mente levant Paratragodumenâ.
p. 117. v. 8. Aptis, *leg.* dignis.

p. 117.

p. 117. v. 9. Tu lege torvâ, Jureq; dialectico. *leg.*
* Baluciâ tu lege, Jureq; Logico.

* *A Baluca; quod Martinius Corruptum censet a* πλάκα, *tabella Salmasius Exercit. Plin. derivat a* Βάλλεξ, *quod apud Hesychium est* ψῆφος. *sed clarius profluat a* פלח *segmen, fragmentum; quia crudum aurum minutis constat partibus. Hispani aurum minutum, Balucem vocant. Plin. Nat Hist. l. 33. c. 4 & Lexicon vetus græcolatinum* χρυσίου γήδιον ἀκαθάριστον, *interpretatur, Valuca: nec non leg. 1a Cod. de Metallariis, Baluca exponitur* χρύσαμμος, *aurea arena. Videtur hoc vocabulum transiisse ab Hispaniâ in Italiam; a Pœnis ad Hispanos, quos frequens miscuit commercium.*

p. 120. v 1. *Valiant.* leg. *Loyall.*
p. 120. v. 2 *Inliven'd.* leg. *did Hearten.*

BRITISH

Imprimatur.

JOANNES OUENUS,

*Academiæ Oxonienſis*

Pro-Cancellarius.

*Communne Muſæ generis humani Bonum.*

N

P

# ELEGIACA.

## Colon. 1um

LUBENTES fatemur magnam quandam Ingenii vim, ac planè admirandam requiri in Pöeta; nec eum Ingenio modò esse excellentem, sed & mente concitatum, ac quodammodo divinum: ut fortasse quantum Orator in dicendo cæteris antistat, tantum Oratori præstet Pöeta. *Ger. Jo. Voss. Art. Pöet. Nat. c. 5. §. 2.*

# ELEGIACA.

1. *Ad Curiatios ac Horatios utrinq; trigeminos, Albæ Romæq; compendifactum est bellum; ut, cujus milites pugnâ vincerent, ista civitas imperaret alteri: quo certamine vulneratis tribus Albanis, cæsis duobus Romanis, Horatius integer simulat fugam; & Curiatios singulatim insequentes adortus, interimit.*

TErgeminos inter duplos [a] *fraterrima* bella
Depositum Regni movit utrinque Caput:
Non homines credas, sed [b] tot concurrere gentes;
Ac Latium ferro cudere Fata Genus.

Quod Vires poterant, *bini* cecidere Quirites;
Quod dolus, Albanis de tribus *alter* ovat.
Hinc favit [4] Stator, Fugitivus Jupiter illinc:
Rem manibus fractam restituere Pedes.
Illos ad subitam stimulant Sua vulnera pugnam;
Hunc docet Illæsum mors Aliena Moram.
Robur Eis dempsit Fiducia roboris; Isti
In desperatâ sola salute salus.
Indignans sociam, sors ipse [6] *triaria*, famam,
Præbet in extremo Gaudia summa Metu:
Hos exultantes Victoria prensa reliquit;
Domq; Moras pugnat singula, Quæq; perit. (stas:
Quod monstrũ hoc Martis? Superat Fuga; strata pote-
Est Unita, minor; major, at Una manus.
Pro Patriâ si dulce Mori, si nobile Vinci;
Vivere quàm Lætum est! Vincere quantus Honor!

1 *Arcadicam historiam huic parallelam citat Plutar. c.* 13. *Para.* (2) *Buchan. Tit. Poëm.* (3) *Nam fœderati quoq; Populi ex fato depræliantium hinc inde pendebant; ab Albanis partibus Fidenates, Veientes, &c. a Romanis Sabini, Lavinii, &c. Liv. l.* 1. (4) *Jovis Statoris Templum. Liv. Ibid.* (5) Ζεὺς φύξιος, *fugæ Præses;* ὁ βοηθῶν τοῖς φυγάσι. *Scholiast. Apollon. Argon. l.* 2. *v.* 1151. *& l.* 4 *v.* 699. *dicitur* φύξιος *potius quàm* φεύξιος (*quamvis proveniat a* πέφευγα) διὰ τὸ λειότερον τῆς φωνῆς. (6) *Epitheton a militibus Triariis desumptum. Triarius. Cic. Brut.*

In

# *In Cohortes Academicas.*

CUm Toga ſanguineos audet potare colores,
Et ſuperindutum fert animoſa Sagum;
Invideatur Ei cur duplex Laurea? non eſt
Armatum, galeam ni Caput intus habet.
De Membris acies, de Mente triumphat acumen;
Hâc coïere Greges, hôc coïere Duces.
Hoſtes dextra domat, Cerebro Victoria victa eſt;
Præſuit hinc MAGNO Julius, inde Sibi.
Prudentes vitam, ſatagunt & perdere Mortem
Præcipites; res eſt Ingenioſa Mori.
Ars Troïum colubrina coërcuit Ægidis Angues,
[7] Palladio ceſſit Pallas & ipſa ſuo.

(7) *Incolume ſtetit Ilium invitâ Pallade armatâ, quamdiu manſit intra Pergama Minervæ ſimulachrum, quod ſymbolicè denotat ſagax conſilium.*

# *In* D. E. L. *Judicem & Chiliarcham.*

TRuncatus manibus, ne ferret munera Judex;
Olim oculis captus, ne caperetur, erat:
Uteris ambobus meliùs Gladiate [9] Nomarcha;
Justa oculo tugris, justa tuere manu:
Arma stylo socias, Hæres utriusq; Minervæ;
Juridicum Bellum, bellica Jura facis.
Nata sit Astræo cum Diva Astræa Gigante,
[10] Hermarium fas est hanc habuisse Ducem.
Quis dubitare potest sub [10a] duplo Alcide Trophæa;
Qui calamo [11] Cicures, qui domat ense feras?

[9] *A νόμος lex, non a νομὸς præfectura.* [10] *Compositum ab Ἑρμῆς & Ἄρης juxta analogiam τῶ Hermaphroditus.*
[10a] *Oenio, Eloquii Præside; & Thebano, monstrorum domitore.* [11] *Omnes cicures uni tibi; Jos. Scal. Iamb. Gnom. 58. Ibi legitur cicures primâ longa. Sed a temporum emendatore videatur aliqualis fieri Pseudochronia. Interrogatus, quæ perniciosissime mordet bellua; retulit Diogenes, e feris Obtrectator, e cicuribus Adulator. Laer.*

In

# *In* E: S: *Chronici Catholici Autorem.*

SAturnina ſuos tumulabant viſcera Natos,
Et genitus rurſum pars Genitoris erat;
Scilicet in proprios ſævit gula Temporis artus,
Dumq; necat *Serpens* omnia, primus obit.
Sed tu defunctis tribuiſti ſecula ſeclis;
Qui præterlapſos ſcis revocare Dies:
Umbras atq; Orcum redimens e faucibus Orci;
Nam ſine te Manes bis potuere mori.
Natales ante orte tuos, poſt Funera vivax;
Huic monſtras ævo Priſtina, Noſtra novo.
Tempore nata prius, nunc gignit *Alethia* Tempus;
Vitam alii Mundo, debet at iſte Tibi.

# *Tormenti Salamancæ fusi*

Επιγραφή.

JUPITER TONANS.

ABstulit æthereos ubi fraude Prometheus ignes,
Sensit fulmineo sat superesse Jovi;
Sic rapuere licèt Populumq; , & Tela Dynastæ;
Invenit Cæsar vel spoliatus opem.
Armata en Oleum mutat cum Sulphure Pallas,
Spretum Vulcani læta subire jugum;
Dum parit æratæ Tormentum rivulus undæ,
Æquiparans sonitu Fulmina, strage Luem;
Nec solo tactu Glans mortem, aliquando susurro
Imprimit; & vitam quæ fovet Aura, rapit.
Incipe sulphureis Orco præludere flammis,
(Igne alio digni, qui periere Tuo)
Ut debellatos doceas BOMBARDA Gigantes,
Tantùm Cæsareos bis jugulare Globos.

PALLAS ARMATA.

VULCANUS IN OFFICINA.

PROMETHEUS VINCTUS.

(11) *Olim cum Minervæ vim inferre conatus est Vulcanus, patet Erichthonii ortu.*

*Hæc*

## *Hæc, Gnaticidæ Virginio Virginia moritura.*

DUM ſervas animam, mactato corpore, Natæ;
Impietate pius, ſævus amore parens;
Multum parta tibi, plus perdita debeo; non Me
Tam genuiſſe fuit, quàm necuiſſe Patris.

## *Apum Epicedium.*

QUÆ modò Narciſſi lacrimas, caliceſq; Roſarum
Epotavit Apis, Rore ſepulta ſuo eſt:
In propriam fæcunda necem; ſibi cura ruinam
Struxit; & eſt Tumulus, quæ prius aula fuit.
Quàm benè Martyrium dicas, ubi flamma ſepulchrum;
O ubi nunc pietas, ſi labor ipſe nefas!

## *In Gemellum cum Patre simul expirantem.*

PRima suo peperit Fratri quem vita Gemellum;
Hunc Patri Geminum vita secunda facit.

## *In Morum*

PRonubus interpres flammæ tibi, More, jugalis
Fit Gallus; noli credulus esse nimis;
Excitat haud leporem simplex tibi; nequiter ille
Projicit impasto tantùm apomagdaliam.

## *Mors & Amor.*

CÆcus Amor, Mors cæca; domat fallace ſagittâ
Ille tener veteres, illa vetuſta Novos:
Mutavere ſuas errantia Fata pharetras;
Hinc moritur Juvenis, demoriturq; Senex.

(14) *Idem quod deperit, id eſt, perditè amat. Plaut. Mil. Glorioſ. Act. 4. ſc. 2.*

## *De Milite Saucio.*

SCulpſerat os, frontem, buccas numeroſa cicatrix;
Condiderat totum plaga videnda virum.
Stigmata ſecuro jam provocet ore; futuris
Salvum a vulneribus vulnera ſola dabunt.

## *In Militem jurabundum.*

QUi toties Regem esse suo juravit in ære,
Si non jurâsset, vera locutus erat;
Juramentales absolvunt debita mulctæ:
Tanti stultus emit, non peperisse fidem.

## *Metellus miles mercenarius.*

SPectra pati docuit Vultus, convicia Conjux,
Vulnera castrorum Mars, Erycina thori.
Quid ferus ergo timet? PACEM: discordia quippe
Sola hunc tutatur; perdit & una Salus.

In

## *In Aulum.*

MOre (15) Neronino, nullũ putat Aulus honeſtũ;
Cui probitas nemo, quis ſcelus eſſe poteſt?
Scilicet arquatâ contaminat omnia mente;
Inq; alio Virtus pectore, Culpa ſuo eſt.

(15) *Nero perſuaſiſſimum habuit, neminem hominem pudicum, aut ulla corporis parte purum eſſe: verum pleroſq; diſſimulare vitium, & calliditate obtegere.* Suet. vit. Domitii Ner.

## *Penna Anſerina.*

COnticuit gallus populi cognominis auſa;
Romaniſq; Aquilis contulit Anſer opem.
Servabat vox rauca ſemel; vocalior ore
Sed vetat æternùm mortua penna mori.

*Epitaphium*

# *Epitaphium I. C.*

SAnctior in Sacrâ tumulatur Pulvis arena;
Dum mens ſideribus purior aſtra colit.
Mnemoſynum cui ne deſit; Marmorq;, Dolorq;
Æterno ſletûs nectare nomen alunt;
Pignoraq; Ingeniis, & matriſſantia Formis,
Tot ſtant Hiſtoriæ, tot (16) Monimenta Tui.
Vivis adhuc famâ Terris, & naſcere Cœlo;
Natalem geminum ſic Libitina parit.

(16) Gerard. Jo. Voſſius Art. Gram. l. 1. c. 43. *Monumentum mavult; ut Emolumentum, Nocumentum, Documentum. Aſt Emolumentum haud eſt ejuſdem claſſis, quippe non profluit a verbo ſecundæ conjugationis; non magis quàm alimentum, condimentum: Nocumentum in autore Claſſico non reperio: Documentum legitur potius quam docimentum, quia u fit εὐφωνότερον poſt literam c; Rectius* i *ſcribitur poſt alias literas, ut Sedimentum a Sedeo; a moneo monitum, monimentum: Noſtra quoq; lectio apud Feſtum habetur.*

Am.

## *Amico Doctiſſimo H: F. de retardata Libelli Editione.*

INvidere aliis alii; tibi Zöilus Ipſe es,
Lector & auditor dum tuus unus eris.
Per quos Victurus, Vitam da verſibus; omnes
Scribere præproperent, edere nemo Librum.

## *In Obtrectatorem Libelli Heinſiani de laude Aſini.*

INvide, ſugillas, Autor quòd laudat Aſellum?
Tu celebras laudes Illius, ille Tuas.

*Lycurgus*

## *Lycurgus Vitium detruncator.*

QUâ perimis Vites, occumbis falce, Lycurge;
Ecce ſcelus quantum ſit jugulare merum!
Fundens purpureum potabilis Uva cruorem,
Se perdit; pro te quæ perit, ipſe necas?

## *Narciſſus.*

DUm procus ipſe ſibi, captatur imagine Formæ;
Augebant flammas Undaq;, & Umbra ſuas:
Ruperunt elementa fidem; Venus orta profundo
Juſſit, ut e mediis creſceret Ignis Aquis.

*Ubiq;*

# Vbiq; Mors eſt.

NOn tantũ pandit tria guttura [17] Janitor Orci,
Innumero populos Cerberus ore vorat.
Tolle famem, Peſtes, Pelagiq; inſtantia fata;
Tranabit cupiens abſq; Charonte ſtyga.
Enſe negãte, necẽ feret [18] Annulus, [19] Uva, [20] Cicuta,
[21] Incluſus Mæror, [22] Gaudiaq; ipſa dabunt;
Lethũ [23] Poſte petas, [24] Laqueis, ardente [25] Favillâ;
[26] Amittas Animam, dum retinere velis.
Vel cupido Vitam poterit tibi quiſq; negare;
Sed cupido Mortem nemo negare poteſt.

(17) *Triceps Cerberus tria Mortis indicat genera*: *Leoninum caput, ſpontaneam, quæ procedit a magnanimitate; Caninum, Naturalem, quia blandienter obrepit; Lupinum, violentam, quòd rapido impetu in hominem ruit; niſi me fallit conjectura.* (18) *Vi Hannibali.* (19) *Anacreonti.* (20) *Socrati.* (21) *Carolo Craſſo. Put Hiſt. Inſub. l.* 4. (22) *Diagoræ Rhodio Plin. Sen. l.*7. *c.* 53. *Agell. l.* 3. *c.* 15. (23) *Vi Mahumetes tertius Turcarum Imperator.* (24) *Jocaſta.* (25) *Porcia.* (26) *Barbarus apud Galenum de motu muſc. l.*2 *c.* 6.

*Androgynus*

## *Hermaphroditus*

DUm Genitor puerum, Genitrix molita puellam;
Victi ambo vincunt, neuter uterq; creor:
Filius haud naſci poteram, niſi Filia vellem;
Nec ſine Conjugio Virginitate frui.
Sic coſta accreſcens Epicœnum fecit Adamum,
Atque uno fluxit Mundus ab Adrogyno.

## *In Madulſam.*

TEr demerſa die, ter deſpumavit Jacchum;
Jactat & hinc crebrum Sobrietatis opus:
Fallitur; hunc habitum varius non perficit actus;
Sobria quæ toties, vix fuit Illa ſemel.

*Graviſſimi*

## GRAVISSIMI

*Viri Epitaphium.*

PArcite nec Vermes, nunquã hic Mordere pepercit;
Nec sis terra Levis, non fuit ille tibi.

## *Lunæ inconstantia*

ÆStûs Remigio quòd per freta nãvigat Æquor,
Nil mirum in causa si Vaga stella foret.
Datq; capitq; vices, furtivo argentea vultu;
Tantum sub præda *candidiore* micat.
Conscia Titanis coitûs, magis Endymionis,
Ipsa licet mulier, Cornua fronte gerit.

## *In Picturam Fucatæ*

VTraq; tam viva eſt, tam picta eſt utraque; dici
Ut Tabula hæc virgo, Virgo tabella poteſt.

## *Pontis Londinenſis conflagratio*

TAntalei ſpecimen buſti, flammaſque vadantes
Conſpicimus; dum Pons gurgite, & igne crepat.
Quid tragicum Vulcane vetet rapidiſſime ludum?
Defendit furias ipſa vel Unda tuas.

*Oſtreo-*

## *Ostreophagia petulca*

TIncta [27] Dionæo, miror nihil, Ostrea succo
Cum saturant, [28] aliam conciliare, famem;
Scilicet ostrinam Cypris spumosula conchan
Imbuit, (ortivæ gratia prima Deæ)
Dum Zephyri bellam petulans vehit aura phaselum,
Ventilat & passas ludicra vela comas.
Philtra valete; tuo, per pabula [29] viva, Gradivo,
(Cypria) clinopalus major Adonis erit.

(27) *Venus erat Jovis ex Dione filia, unde cognominatur Dionæa: quæ Dione Oceani Nympha, dicitur a διάινω humecto.* (28.) *videlicet Galbinam.* (29) *Quoniam viva deglutiuntur ostrea.*

## *Mulierum impudicitia*

MAtronæ, castos frustra simulatis amores;
Frontem Actæoniam cincta Diana dedit.

## Ad *Pseudolum*

QUid constante fidem conaris ludere falso,
Nunquam non fatus recta per Antiphrasin?
Haud fallit, quisquis semper mendacia narrat;
Vis bene mentiri? discito vera loqui.

## Ad *Zoilum.*

LAnguida te dicis torquere pöemata; mentem
Sed plus torquerent Ingeniosa tuam;
Qui livore voras intactis carnibus ossa,
Spina quasi in tetram versa fuisset * Ophin.
Ut tibi displiceas, cum sit tua Zoile cura;
Ut tibi complaceam, cur mea cura foret?

* *Ex humana medulla in sepulchris prosemina tur Angues Ovid. Met. l. 15. fab. 36.*

## An *Universalia fiant ab intellectu.* Aff.

QUid mirum, Ingenii nova si Respublica surgit,
Prægnantis cerebro cum Dea nata Jovis?
Fit rerum Lucina, caput: procul ite Hymenæi,
Jam sine conjugio possumus esse Patres.
Producit ratio, dum tantum Concipit; & post
Fœturam, potitur Virginitate Parens.

## An *Detur Reactio.* Aff.

ASpicis algentes radios ubi vibrat Apollo,
Æthera reflexo Saxa calore petunt;
Ac, si non tetigit, potuit tetigisse videri
Maceriæ pietas ambitiosa polum.
O quales Hominem mores Natura doceret;
Ingratam quæ vel non finit esse Petram!

* *Est paries lapidum crudus, cæmento non ferruminatus; qui eapropter aptiùs in longum quam in altum extenditur: Etymonq; sumit a μακρ☉, quod a Dorico μᾶκρ☉ longitudo; inde prima prolongatur apud Prudent.*

## An *Peccata sint æqualia.* Neg.

CUlpa minor Bruti, quàm Numinis; inde Tonantē
Ut levius peccet, fingimus esse Pecus:
Descendit solio, ne sit cœlestis adulter:
Quiq; Capram suxit, fit Deus ipse (30) Caper

(30) *Per Metaphoram in quibuscunque stupris; per Metamorphosin cum Antiopen compressit.*

## An *Suicidium sit licitum.* Neg.

CUI favit victor, nollet sibi parcere Victus;
Nonne Cato pejor Rege Tyrannus erat?

An

An *Qui poculum Amatorium dedit, ex quo Mors secuta est, teneatur Homicidii.* Aff.

NE lenam Cypridi sacram fac Pæonis artem,
Cum Veneris titulos ipsa * Venena ferunt:
Ut modicè luxes, Naturam forte resolvas;
Cæcus amat *Medium*, sed male servat Eros.
Carus obit, gemini furibundus *Carminis* æstro;
Anne Odium poterat plura? trucidat Amor.

* *Venenum a Venere derivatur, quòd Veneris instar spiritus afflat, igne furtivo depopulans venas.*
(31) *Occidit poeta Lucretius Carus, uxoris Philtro fascinatus. Giphan. vit. Lucr.*

## An *Vulnerans, ob mortem imperitiâ Medici contingentem, teneatur.* Neg.

VUlnus, & auxilium ferro partitus Achilles,
Mucronem plagæ pœnituisse dedit:
Si Mysio cædem tulerat medicabilis ictus,
Haud tam Pelides, quam foret hasta nocens.
Pharmaca quod peccant, lueret cur mitior hostis?
Non satis est, perdat ni Medicina duos?

## An *Impius excidat dominio?* Neg.

SI Numa regnârit, sit regula; si Nero frænum;
Hunc Thronus illustrat Regius, ille Thronum:
* Agninum poscas, Vulpino cede Monarchæ,
Cui pietas forsan †† semine fanda placet:
Dextra salutarem tibi porrigat arida succum;
Et *damnata* queat *terra* necare necem.

* *Innocentiâ solâ.* †† *Principem oportet esse* ἢ οἱ καλῶς πρὸς ἀρετὴν, ἢ ἡμίχρησον· καὶ μὴ πονηρὸν, ἀλλ' ἡμιπόνηρον. *Arist. Polit. l. 5. c. 10.*

An

An *Dominium & Servitus*
*sub Evangelio sint licita.* Aff.

(Ministros
32 ACephala est, Dominos Respublica; manca,
Si neget; haud Corpus, sed foret illa Chaos.
Cur Famulos, cur demis Heros? sub Imagine utraq;
Christus erat; similes nil vetat esse Deo.

(32) *Prima porrigitur in polysyllabo quantumvis alioquin sit brevis; ut in* ἀθάνατος *per* ἔκτασιν Ἀττικήν. *Eust. Eoq; magis indulgeatur hæc licentia, quod* α *compositum quandoque mutatur in* η, ut Ἤπειρος ab Ἄπειρος. Poetice, quoque Ἀναιφορά pro Ἀναφορά, & καταίβασις pro κατάβασις *leguntur.*

*Salvatoris*

## *Salvatoris Natalitium.*

IPſam ſi jubeant ægri ſalvere ſalutem;
Salve natalis lux, & origo tui.
Te Mater ſine Patre, Pater ſine Matre creavit
Semideumque Virum, ſemi virumque Deum.
Orac'lum peperit Virgo enthea, cujus ad Omphan
Fatidici Tripodum conticuere ſpecus.
Phoſphorus ipſe ſibi eſt, & non finitus Horizon;
Stella Magis lumen; luminat Aſtra Puer.
Idem Agnus dum Paſtor erat; qui ſingula Verbo
Progenuit, Verbum ſe genuiſſe velit.
Hæc celebrans, mea concelebro natalia; quippe
Per Chriſti vitam vita renata mihi.

## *Retege Oculos meos* Pſ. 119. 18.

PAnde oculos, aptè clamat Rex; nempe [33] Cruore
Unus, & a [34] Gemmâ conditus alter erat.

(33) *Interfecti Uriæ* (34) *Conſtupratâ Bathſchebâ.*

*Apoſtolus*

## *Apostolus* 1 Cor: 9: 22:

O prudens levitas, humilisque superbia Pauli!
Omnia tu factus? Factus es ergo nihil.

## *Simon Cruciger*, Luc: 23: 27:

CUr non succubuit Ligni sub pondere Simon?
Hunc Crux ipsa tulit, dum tulit ille Crucem.

*Lacrimæ*

## *Lacrymæ Pœnitentiales.*

SInt animæ tua Vela preces, ſuſpiria Venti,
Portet ad Elyſios Styx Lacrymalis agros.
Recta ſolent interpoſiti curvare liquores;
Rectificat curvos Flebilis unda gradus.

## *Philauto.*

RIdes, emunxit quia Me Rivalis amantem;
Sed tu ſcis cunctos fallere; Temet amas.

## In *Carolum Adolphum Sueco-rum Regem.*

PRædomito precibus Cœlo, capis Arma; Poloni
Grande putant vinci? vincitur ipse Polus.

## Dno H. S.
## *Equiti Aurato, Exequiæ.*

PRimævo moriente cadunt Flos, Arbor, Arista;
Grandævo Messis tota, Corona, Nemus:
Hic inonusta ratis; cumulatur mercibus alter;
Naufragium Juveni Mors leve, grande Seni.
Victima grata jacet; Cædes invisa Tonanti;
Is vitam Bruti vivit, at ille Viri.
Sed senium (Spelmnane) tuum non condidit ætas
Unica, qui Mundo mente coævus eras;
Mystica cæcarum penetrans sacraria rerum,
Quà nemo poterat ducere, nemo sequi.

Dignior

Dignior es statuis, Hermete potentior Hermes,
Hic tantùm ostendit, tu facis arte viam.
[39] a Relligio tibi Natales, Ecclesia cunas
Debet; Conciliis ipse Columbus eras:
Hospes quisq; domi pridem, vernaculus exul;
Patria quin per Te posthuma facta sibi:
Sic natæ tu Natus ades, Genitorq; parentis;
Anglia te peperit, nascitur illa tibi.
Saxonicis veteres spoliâsti Anathemasin urnas,
Sacrilegà gnarus Fana beare manu;
Relliquias Analecta putans, nisi juncta senectæ
[39] Virtus; ni tumulo sit monimenta Cinis:
In cujus (velut [38] Achazi parapegmate) libris,
Actum retrogradus Sol remetitur iter.
O quàm præsentis parcus fuit Arbiter ævi,
Qui vel præteritum non periisse sinit!
Nec solum Extincti, sed & ipsa Sepulchra resurgunt;
Vita rogum, per quam mors rediviva, ferat?
e Vendaces Ædis loro [39] graviore flagellas,
Queis pietas latro, sacra rapina Fides;
Sancta Columba quibus merx est, Altare Trapeza;
Quisquis emit Templum, vendere crede Deum.
Si sua [40] subducens moritur; quæ pœna moratur
Sacrilegum, quoties dona Aliena rapit?
Sustentans Arcam injussu prosternitur [41] Uzzah;
Subvertis vetitus, nec patiere necem?
Laus tamen hæc simplex; sed utì cui convenit unus
[42] Virtutum nexus, tota Catena favet:
Sic individuâ cùm quis dotatur ab Arte,
Singula mox Cyclo consociante fluit.

Saxonica

Saxonica exponant [c] Patronum pulpita; tantis
Haud par lingua tamen laudibus una foret,
[d] Pandectesq; suus vocum; thema nempe futurus
Pluribus Historiis, quàm modò Lector erat:
Vixit enim Patriæ tantum, sibi mortuus olim;
Nunc moritur patriæ, vivat ut ille Sibi.

(35) *Aristoteles asserit Hominem primo vitam agere vegetabilem, postea sensibilem, dein rationalem, de Gener. Animal. l.2. c 3.* (36) [a] *scripsit Antiquitates Pambritannicas,* [b] *de Sepultura,* [c] *de non temerandis Ecclesiis,* [d] *Glossarium;* [e] *Cantabrigiæ Saxonicam Prælecturam fundavit.* (37) *Nisi sint Heroum Sepulchra, qui plus Famæ tribuunt cippis, quàm ab iis accipiunt.* (38) 2 Reg XX. 11. (39) *Alluditur ad Exemplum Christi,* Matth. XXI. 12. (40) *Ananias.* Act. Apost. V. 2. (41) 2 Samuel. VI. 7. (42) *Virtutum Cyclo respondet Vitiorum Circulus.* Epist. Jacobi XI. 10.

Ὁ Κρόνος ἀ χρονίζει.

PLumbatis falsò pedibus tardare putatis
Saturnum; accelerat [a] Plumbea massa gradum.
Nec Leviora minùs festinavere meantem;
Succurrit properæ reptilis [b] Umbra fugæ.

Tempora

Tempora qui Rediment mores decursa? Morari
Nec *levitate* potes, nec *gravitate* Diem.

[a] *Pondera Horologiis appensa.* [b] *Gnomonis Horarii.*

Ἄρχοντος τὸ Καμβ. Γενεθλιακόν.

ΠΑῖς [43] Ῥοδοκρινογενὴς, Τίμῃ ἐπιτίμιος, [44] Ἀρχῶν
Δακτύλιῳ φύεαι πορφυρόεσσα λίθος.
[45] Ῥᾷστα Ῥοδοῖς Σκολύμους συμπλέξεις * ἀργερύθροισι,
Φωσφόρος ὢν [46] Σκόττοις, Ἄγγελος Ἀγγλιακοῖς.
Φαίνε Πλουταρετῆς ἀκμή · καὶ Σοὶ βίος εἴη
Πάντοτ' Ἀείς-αρχος, πάντοτ' Ἀειστο-τέλης.

(43) *Rosis Anglicis, Liliisq; Gallicis prognatus, Rosililigena.* (44) *Mimus Claudii Imperatoris dixit omnes bonos Principes uno annulo describi posse. Vopisc. Aurel.* * *Albirubris.* (45) *Primus enim Princeps post Regnorum unionem Angligena; qui diem obiit.* (46) *Non enim proprie scribitur* Σκότος, *vel* Σκώτος, *sed* Σκόττος, *quod a* σκότιος *contrahitur; cujus trisyllabi in dissyllabum contractio compensatur geminatione* T *consonantis: inde apud Claudian: Panegyr: Consul: Honor: ubi prima longa reperitur,* (Scotorum tumulos flevit glacialis Ierne) *intelligas quasi scriptum, Scottorum: sic* Πυῤῥος *a* πυρόεις, *unde Pyrrhus, & Burrus: & Pyramis primâ longa est a* πυρὸς τοῦ πῦρ *ignis; possitq; fortean scribi cum gemino* r. *Aliqui vero malunt propter syllabæ primæ longitudinem*

longitudinem, a πυρὸς triticum derivari, quasi spicæ formam simularet Pyramis; quam tamen oculo Judice imperfecte repræsentat: opinantur igitur Pyramidas Ægyptiacas a Josepho conditas, ad triticum cæteraq; frumenta condenda; postq; Famem triennalem in Regum tumulos fuisse conversas. Equidem protinus reclamo, nam præter ἀνιστορησίαν, Pyramidalis etiam figura conjecturam hanc funditus evertit, cùm sit figurarum regularium incapacissima: paucitas insuper, & angustia spatiorum interiorum, huic opinioni nullum relinquunt locum; nam quantæ quantæ sunt, prope solido integroq; constant saxo; uti asserit testis oculatus, Joh. Gravius: Pyramidog. Angl. p. 2. Nihilominus Pyramis forsan proveniat a πῦρ Nominativo; necnon πυρὸς triticum, propter igneum maturi tritici colorem; ideoq; primâ porrigantur.

Εἰς Πλάνον.

Τον Τόπον ἤλλαξες, μὴ τὸν τρόπον, ὀρνύμενος μάψ·
Οὐ γὰρ Ἐρημίη πάντοθεν Ἠρεμίη.

Κατὰ τῆς Διαδικασίας.

Ὦ Ἀγορὴ πολύφλοισβε, σεβέσκεο [47] κυδιάνειρα,
Τοῖς φρονίμοις μᾶλλον τισιάνειρα δοκεῖς·
Δυστυχίης παισὶν τοίηδ' ἔγκυρσεν ἀνάγκη,
Τιμᾷν ἐκδαπάνως τὴν κακόχαρτον ἔριν.
Πᾶσ' οἰκωφελίη κενεοῖς σπουδάσμασιν ἔρρει,
Θυμοβορεῖ φρόντις, γυιοβορεῖ κάματος.
Οὐδέ τι κέρδος ἔφυ· Τὼς Δωροφάγοι προέκρινον
Χρυσοῦν [48] χρυσοτέρας Πλουτέα τῆς Θέμιδος.

(47) *Homericum Epithetum* ἀγορῆς. *Hom: Il: α. v.* 489. (48) *Usquequaq; celebrantur Aureus Canon; Aurea Mediocritas; seculumq;, Astræa jus dicente, Aureum.*

Εἰς Ἶριν.

Ἥρης Ἄγγελε Ἶρι, θέαμα μὲν, οὐκέτι θαῦμα·
Κἂν σὺ τέρας, καὶ (πρὶν μυστικὸν) ἱστορίη.
Θαύμαντος θυγάτηρ ψευδώνυμος· εὐθὺ Σ' ἔτικτον
Ἥλιος ὑαλίνῃ μισγόμενος νεφέλῃ.
Κενταύρων δὲ κάσις, τοξούλκεις Οὐρανόν· ὅπλον
Ἡμερινὸν Φοίβῳ, νύκτερον Ἀρτέμιδι.

Εἰς

Εἰς Ἰωάννην Σπέλμαννον, Ἱππότην
ἔγχρυσον, θρηνῳδία.

Ἀρχαϊκῆς ταμίευμα γραφῆς Σπέλμαννε φαεινὸν,
Καὶ [49] πολλεξίας ἱερόφαντα σοφῆς·
Ὤχεο νύν γε, σέβας τοῦ γράμματος ὥσπερ ἀμυδρόν·
Ὄνομα δὲ γραφικαῖς θάλλεν ἐν ἀκριβείαις.
Τοῦθ' ἘΡΜΗΣ τηρεῖ ψυχόσσοος αἰὲν· ἔχεις γὰρ
Καὶ [50] ΛΟΓΙΟΥ κοινὴν [51] ἈΝΔΡΟΣ ἐπωνυμίην.

(49) *Ita in* Ἀκαδημίη *penultima producitur. Aristoph. Nub. Act.* 3. *sc.* 3. (50) Λόγιος Ἑρμῆς: *Synes. epist.* 101. *ad Pylæmen.* (51) Σπέλμαννος *a vocabulo Saxonico* Spell, *oraculum, arcana scientia; hinc* Godspell, *mysticum Dei verbum. Versteg c.* 17. *Manent igitur* ὁ Λόγιος *Mercurii Cognomen, & Spelmannus, Synonyma.*

BRITISH
MUSEUM

# IAMBICA

## Colon 2um.

Carmen amat, quiſquis Carmine digna gerit.
*Claud.*

BRITISH
MUSEUM

# *Halcedonia Britanno-belgica:*

*sive ob Fœdus, inter Rempublicam Britannicam & Ordines Fœderatos Belgii, sanctitum, Irenodia.*

UBi freta, Batavis Patriam amphibiis, globi
Britonum tonantes crebrò fecissent Rogũ,
Lymphis cremantem membra, mergentem Focis;
Ut utroſq; Fati ſentiant ſimul gradus,
Quâ periit Orbis, quaq; perituras Criſi:
Coluit Leonem Geryona ſimplex Leo,
Privatus ungue Rapace, dedidicit Feram;
In flagra ſcopis terga mutatis dedit;
Frænum momordit, nec recuſavit Jugum,
Sponſale; Noſtrumq; fore *Pacificum Mare*
Lætatur: Iſtus nempe *Piſcator* ſapit.

Melos Columbæ dulce post Aquilam sonat,
Post Classica, Citharæ; Otia æstimat [2] vetus
Commilitandi; sudior nunquam Polus,
Quàm Fulminanti Nube lustratus, micat;
Corona Pacis sequitur Æternæ, Tubam.
Hostes Triumphus asperat, amicat Liga,
Ille unum, at Ambos Illa Victores creat.
En Dexteras agglutinat [3] sanguis, sacrum
Fit vulneratis Hoplochrisma; Gordium
Gladiusq; Nodum stringit Affectûs: Throni
Pridem, sed ipsæ nunc Maritantur Plagæ;
Non dividit, Eas jungit Oceani *Annulus*;
Totumq; Mundum His conjugat Amor, aut Timor:
Caduceator Mars Erote certior.
Sic *Belga Fœderatus* Haleces ole,
Fame æmuleris Vorticem, Pisces siti;
Littusq; arato, haud suppetit aliud Solum:
Nos compotes aptare [4] Timotheas plagas,
Viliùs emamus Nostra, quàm capimus Bona.
Ut velitantur cùm Duellantes Aquæ,
Plaudente Terra; Turgidæ in *Arenam ruunt*,
Et comminaces *Martio Campo* Fremunt,
Pugiles Freti, Ripæq: Littoribus suis;
Isti Æolus secundus, huic Nereus favet:
Modò Naufragarum Languet Undarum fragor,
Spuma in Parentem. Mare redit ad Inducias;
Geminusq; Gurges mutuo amplexu coit;
Fit Fluctus Anglo-batavus, ac *Fœlus ferit*.
Ita bina classis dum repercutiunt Necem;
Vertunt in Ætnam pelagus, in Pelagus Rates,

Quà

quà fauciati Propriâ natant Styge;
Ac ni [1] sub undis, nemo securus Sali;
Narrantq; resoni, quas dabant clades, globi:
Mox ligneas Pax Remora Balænas ligat,
Et via per Ictus Arcubus Amoris patet,
Redintegrantis corda vulneribus novis,
Aureôq; Telo sopientis Plumbea.
Eluenta Lethes præcinunt Amnestiæ;
Philotesioq; prodromus Cyatho Cruor:
Stipite [2] Oleastri Clava formata Herculis
Emblema firmæ constitit Concordiæ.
Si retinet Arma Domitor, ac Domitus parat,
Neq; Civis odia ponit, aut Miles minas;
Paritas domi si frendet, Imparitas foris,
Nec tota Bella, tota nec Quies placet;
Nisi ab [3] Unico, qui possit Unitas dari?
Vel absq; Servitute, tolli Factio?
Nisi Dominatore, unde Libertas peti?
Quem prædicando, Creta Nigraret minor;
[4] Timantis unâ consecrandum Catagraphe.
Panegyrista quin sibi est Clemens *Pater*,
Solio Tyrannus Proditor summus suo.

(1) *Hollandicæ naves nuper scoparum signa Malis imposita præferebant. Loccen. Jur: Mar. L. 1.* (2) *Id est diu expertus Militiæ, veteranus: ut vetus Ceremoniarum. Tacit. An. 6. Elliptice.* (3) *Mos est Asiæ Regibus, quoties in societatem coëunt, implicare Dextras, Pollicesq; inter se vincire: tunc levi ictu cruorem eliciunt, atq; invicem lambunt; id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Tac. An. L. 12.*

(4)

(4) *Pictores delineârunt Fortunam, urbes retibus inclusas Timotheo Athenienſi deferentem. Æl. v.h.l.* 13. *c.*43. (5) *Hoc eſt, niſi qui deſcenderat in imum carinæ alveum.* (6) *Talem Mercurio dicavit Alcides, e quâ oleaſtrum (Pacis Symbolum) natum, Troezenii oſtentare conſueverunt. Pier. Hi.L.*5. (7) *Non aliud diſcordantis Patriæ remedium, quàm ut ab uno regeretur. Tac. An. L.* 1. (8) *In cujus picturis plus ſemper intelligitur, quàm pingitur. Plin. N. H. L.* 35.

# *In* E. R. F. *Carmen Genethliacum.*

PRoin ſilebit degener Vatum chorus
Naſcente Muſa? quando Regnatrix parit,
Sterilis Poëta ſupplet Oſtenti vicem;
Quam nominaſſe Carmen eſt, loqui Patrem
Erit Epigramma; dumq; Principem ſonant,
Properant ligari Verba, & in Numerum fluunt:
Materia, quem non reperit argutum, facit.
Hodiene lactea Stella ſurgis? & dies
Superbit idem funere, ac partu ſacer?
Vicit Tyrannum Rex, & unâ Virgine
Vel mille compenſavit Infantum neces.
Salve redemptix ſeculi, cum quâ Aurea
Cupiant renaſci Tempora, & Vulgus novum;

Amœnitatum

mænitatum nide, Virtutum domus,
haritumque; ſen quod majùs eſt, Matri æmula:
rva in monetâ Ærarium, in modulo brevi
irpe tota, Meſſis unica in ſpica; Deus
antum ſuo natale poſtpoſuit Tuum.
nigma ſurgis! cujus incunabula,
roæmiumq; ætatis, haud multæ queunt
quare ephebæ; ſcilicet reliquæ ſolent
reſcere in adultas fœminæ, tu Naſceris.
uàm varia teneris Helena ludit in genis,
ivæque radiant veris æterni Roſæ,
embro ſub omni multiplex Numen latet:
n Os *Venuſtum* Matris, en Patris decor,
œbo invidendus; vultus in quo de novo
terque ſpirat, & renaſcitur Parens.
raterculi, Sororque jam gaudent parem
ari ſodalem ſibimet, & vinci velint.
roinde macta Nata Principe, principum
utura mater; maximum eſt, Sceptrum dare;
ajus, Monarcham: grande ſi Patriæ pater
omen putetur, quantum erit patris Parens!
Peperiſſe Reges melius eſt Regno frui.

(9) *Orta eſt Infanticidii Feſto.* (10) *Ptolemæus Philadelphus, ſecundus Ægypti Rex, filio minori regnum tradidit; omnique regno pulchrius Regis eſſe Patrem dixit. Iuſt. Hiſt. L. 16. Conſulas quoq; Lotharii Imperatoris exemplum. Putean. Hiſt. Inſub. L. 4.*

# *In Natalem* H. G. D.

EN, en Tributum Cæsaris! Diademati
Corona nova; spectator, ac speculum Patris;
Conviva Matris, & simul Convivium!
Hoc est Sigillum Regis, hoc Ærarium,
Vitæ Sigillum Regiæ, Animi Ærarium:
Ecquis tribuere Principem cusum neget,
Cum Principem Rex subditis vivum tulit?
Tam liberali fœnus est Domino dare.
Propriis orire Horoscopus Natalibus,
Infans, & omen; Ipse Sors Astris tuis.
Si te Parentis tormina, & nixûs dolor
Peperissent, isto vilior pretio fores;
Torquent favores, quos emunt injuriæ:
Non est Triumphus ille, sed Strages; Ducis
Cruore si quis constitit: [a] Macerant Dapes,
Cum ex asse domini factus est hæres, Cibus.
Sed te quietum pondus, & Pompam velut
Ovantis uteri, lacrymis primis Onus
Etiam expiantem, nulla fecerunt magis
Charum pericla: sola detumuit Parens,
Furtum Tui mirata; prægnans [a] Herculis

Decubui

Decubuit, experrecta se Matrem stupet.
Sic Stella partu spargit æterno jubar;
Sic entheatus edit Effatum Tripus;
Natura species, Mens Facultates creat:
Imitere Thalamos Cæsar, & pari otio
Superes Monarchas Ipse, quo Conjux parit.
Fatis Rapinam ignosco, quæ vix dum datam
Rapuere nuper Principem; solum hôc modo
Meritura veniam; fortè revocarunt Typum,
Exscriberent quo melius Exemplar novum;
Editio Tu correcta, Parcarum Labor.
Ut cùm sepultum sperma Telluris thoro
Expergefecit Vesta, conceptas opes
Satim rependit, messe prodigâ beans.
Aut ubi vapores Phœbus extraxit solo,
Grato refundit imbre; vel meditans facem,
Pingit coruscâ nube stellarum polum;
Sic utili Lucina nos lusit dolo,
Quæ seminavit Fœminam, pendit Marem,
Agnosco jam faventis ingenium Luis,
Artemque Mortis; Unicæ ut pandat locum,
Mactat Hecatomben plebis: haud tantæ capax
Brevis Seriphus Patriæ; Embryon Dea
Cingatur utero, Nata vix Regno potest.
Salvete Cives, mittit Antidotum Pater,
Animamque dividit; Ipse fit munus Sibi,
Populoque; imago Cæsaris morbos fugat
Quamvis inanimis, vivus hèic spirat Typus;
Genethlicon cantetis, & Soterion;
Non pestis hæc est Pœna, sed Sacrificium.

Quam

Quam perlubenter Temporum ſubis minas,
Uteri beatioris Elyſio fluens!
Nil te movebant Seditio, Bellum, Lues;
Seditio Plebis, Bella Procerum, Æthræ Lues;
Nil Tympanorum gemitus, & clangor Tubæ;
Sic, ſic oportet; partus Heroas decet
Inter ruinas Orbis, & Olympi metum.
Ita Bacchus olim matris exiluit ſinu
In fulmen ipſum; ſpumigena prodit Venus
Mediis procellis; in focum Phœnix ruit,
Vel obſtetrice nacta Natalem pyrâ.
At tu Trophæum patriæ, atque Obſes Poli
Redintegrantis fœdera; & munus Jovis,
Et expiamen; vita cui pro victimâ eſt,
Ac ſacrificium naſceris: Monſtrum indies
Miraculorum creſce; Laus noſtra, & pudor;
Foris Cometa fulgeas, ſidus domi.
Noſtris abunde favit Auſpiciis Deus,
Nondum peractas qui coronavit preces,
Hilareſq; luctus fecerit, feſtam [11] Famem:
Quid nos moratur, Arrha queis Princeps venit?
Egeria, Mavors, Peſtis, & Jejunium,
Caduceoque ſponte Mors paret tuo;
Tibi cedit uni tota Numinum cohors.
Anglizat omen, non erit magnum Patri
Vincere Gigantes, Cælites vicit puer.

(11) *Hospitem pœnitentia torquent Epulæ, quæ toto conſt*
*patrimonio.* [12] *Herculem peperit Alcmena, ſine dol*
*puerperii*

puerperii Plaut. Amph. act. 5. sc. 1. (13) Natus publici jejunii die.

Ἐπιβατήριον in J. R.

e Scotia Reducem.

BEne est, abunde est, nunc sat est etiam & Scotis:
Qui nuper Angli viserant Solis plagas,
Phœbus revisit ipse; pro Ferri globis,
Aurea rependens Arma; pro parca Nece,
Exercitum vel in unico totum Duce:
Nec petere possint plura, nec Cæsar dare,
Quàm ponderosa mole sub Regni gemit
Impar popellus; cujus ingentem struem
Sustinuit Atlas unus; in Numismate
Vel sola Regis umbra composuit minas;
(Aris Asyli, Patribus Patriæ, sua
Sine quo tueri Templa vix Numen velit.)
Plures fatetur qui Deos, nullum facit;
Probare multos Principes, Anarchia est;
Haud Numerus, Unitasque conveniunt simul.
Sat ex Jernæ motibus terræ patet,
Quantum est carere Capite; neutiquam prius
Anguipara, Monstra nunc Rebellantes parit:
Crucem merentur, qui negant Christi jugum.

Tu

Tu tamen Apollo premere Pythonas potes;
Et dissonanti reddere Harmoniam [14] Lyræ.
Non Civium cruore, Victoris refers
Titulum malè emptum, Parricida Patriæ;
Ambis salutem Cassis Imperii, & Caput;
Quasq; unxit olim Oliva, jam redimit comas.
Parere tibi, victoria est; Phileleuthero
Frænum placeret Cassio; cujus Manus
Expansa amicos, Pugnus haud hostes parat:
Subigunt Tyranni Marte, tu Martem domas.
Quid debet Anglus, quem jubes vestro bonus
Salvere morbo; Reditus Exilium tibi est,
Nobis Ovatio; cingeris Diademate
Vero [15] Rosarum, sed suas [16] Spinas gerunt;
Oneraris Auro, nos Coronamur Tuo:
Pacificus Heros par Triumphanti redit.

(14) *Insignia Hibernica.* (15) *Anglicana.* (16) *Scottica.*

In

## In Speculum.

NUlli absolutam præbeas Umbræ fidem;
[17] Imago Vera mutat in laterum situ:
Front usque falsa, frontis Echo falsior.

(17) *Hinc in Arte Calcoglyptica, imo cunctâ ὀπτογραφίας descriptione, speculorum usus.*

## *In Lestam sacrilegum.*

SAcer videri Desta vult, & est *sacer*;
Decimasq; amare profitetur, immo amat:
Et sanctitate fit satur, Templum vorat.

## *In Ampullam vitream defæcatiſſimo vino repletam.*

UNi, (11) Vitrum proſtare, *perſpicuum* fuit;
*Liquidò* patebat alteri præſens Merum;
Neutri tamen ſpectantium comparuit,
Totumne Vinum fuerat, an totus Calix.

(11) Ὕαλος *vitrum ab* ὗω *pluo, quòd inſtar lympharum pellucet; vitrumq; dicitur quaſi* ὕδωρ, *ab* ὕδωρ: *& aquæ reciproce dicuntur vitreæ.*

## *In Redemptionem humanam.*

PLuris Redimere nos ſtetit, quàm Condere;
Dicto peractum Hoc, Id Logo Genito fuit:
Illo, Deus ſibi ſimilem finxit virum
Iſto, ſeipſum comparem fecit Viro.

*Permittit*

## *Permittit Roma Fornices.*

LActasse fertur Romulum mitis Lupa;
Gratum es *Lupanar* Roma, quæ foves *Lupas.*

## *Ad Priscum.*

Effæminatus (Prisce) Vir quis sit, rogas?
Effæminatus scilicet, *nullus Vir* est.

## *In* I. R. *Monastici Anglicani Editorem.*

QUos mors prius Civilis, ac stupor pius
Diremit Homine; sacra dein Mundo abstulit
Ruina; mox & Nomina abolevit Dies:
Resuscitatos unica instaurat manus;
Ac multiplex post Funus, en prohibet mori.
Divina sic ubi fregerat sanctus furor
Marmora; Decalogi manuit illæsus Canon,
Perenniore Cordium scripsus Petrâ:
Ea nempe * Digito, Spiritu hæc sculpsit Deus.
Qui pristinas vel Tartaro æquarunt statues,
Ad astra tollent hos resurgentes Lares;
Fugere Veteres Hæreses, opum reæ,
*Idolon Auro facta* Crux, passa est Crucem:
Ita quæ peremit ignibus * Templum vetus
Gens, extruendo prætulit facem Novo.
Ita non superstes Flamma tam ridet Rosæ,

Quam

Quàm cinere Chymico posthumi Floris nitor,
Cadaveris Suavissimi redux cruor:
Mors addit immortale redivivis decus.
Meteora Famæ meritus est [19] Mausolea,
Magneticâ virtute qui spectans Polum,
Cœnobia priva publico cœlo dedit;
Defuncta tumulis eximens, Tumulos sibi:
SETH Lapide literas, Saxa jam Literæ novant.
Nihilare moles Fata si [20] Regem velint,
Rex ipse Fati, quisquis e nihilo creat.

(19) *Quod monimentum vi Magnetum in aëre suspensum fuisse, (more quo Mahumetis Meccanum) quid ni liceat autumare; refragentur licet Martialis interpretes l. Spect. Ep. 1.* (20) *Henricum 8um.*

* *Hierosolymitanum, Assyriorum consensu restauratum.*

Azymis

Ἀγενὴς Εὐγένεια.

Ἐσθῆς μὲν ἐστιν Εὐγενῶν ἀλλόπτερος,
Ὁμόπτεροι δ' Ἀγενέσιν ἐσθῆτες νόων.

** ** ** ** ** ** ** **

BRITISH MUSEUM

Εἰς Βάσκανον.

Ὁ τοξοποιῶν δυσφόρους ὀφρῦς, μένοι
Πάντας μ' ἐκ Σοῦ, Σὲ φθόνος δ' ἐκ μηδένος.

# POLYMETRA

Colon 3um.

*Quintil. Dial. Orat.*

Mediocres Poëtas nemo novit,
Bonos pauci.

# POLYMETRA

Colon Jum.

Quintil. Instit. Orat.

Mediocres Poetas nemo novit,
Bonos pauci.

# Solstitium Britannicum.

Diva Triumphali solio subvecta Tonantis,
Gentibus æternam validis largita salutem
Aurea MAJESTAS; dubii Cunabula Cœli,
Reliquiasq; Chaus serie pacaliter urgens
Succubuâ, Meriti pensatrix prima superni:
(Sic sola Sideribus cesserunt, Sidera Phœbo,
Sic sua dispositò creverunt Nomina Mundo)
Charior, assessuque Jovi contermina, postquam
Vana Gigantæo trepidavit Phlegra tumultu.
Ante tuos ubicunque Pedes, Vultusque colendos
Sarta lacunosam rescipit Discordia palam,
Flammeolo & minimam velans Audacia Frontem,
Illaque Plebejum Patitas incondita Numen
Se sternunt humiles; nodo parat ipsa jugali
Fracta catenatum præbere Rebellio collum.
Tu quoque lustralem tecum deducis Olympum
In terram; flammas spargit trabeata rubentes
Purpura, stubstillatq; aspergine Nectaris Aer.
Hinc Astræa redux, latus illine ardua claudit

Pallas; Acidaliæ mixti circùm undique Turbæ,
Fulminei Cyclopes eunt; obiterque salutas
Alta casas, at Delubro sistenda decenti,
Augustos patres, Sacrataq; pectora visis.
Felices nimium, quas usurpaverit Aulas
Planta tenax! nomen Fortunæ ibi labile firmas,
Et bellatricem Faciei tua siderat hastam:
Defloratus Honos ita Te repedante satiscit,
Te veniente viget. Sic constipata beasti
Antiquam Ninon, & Belo Babylona superbam,
Susaque, & a Pella, magnæ Capitolia Romæ.
O! quam nutantis sequitur conversio Mundi
Reflua, Quæq; tuo populorum libera promis
Cõmunes Genios Solio, aut premis; heic Tibi Tem-
Condita Parcali sedes Adamante, perennet! (plum,
Quid nobis te, Diva, litet? Si victima grata est,
En libaminibus Præcordia prona cruentis!
En Capita, en refugos nullius Cuspidis artus!
Haud virtus Britonum sic est effæta; nec unquam
Anglica tam vapidum torsit Bellona flagellum;
Quin animas cuperent pro Majestate pacisci.
Sin defæcati (proprior qui cultus Olympo)
Cordis in Æde coli juvat, & vittata pudici
Sensa placent animi; vestris en volvitur Aris
Conscia Simplicitas recti, sanctæ inscia Fraudis
Relligio; cicur, ac laxo frænabile loro
Ingenium, secura Fides, Amor acer; Amoris
Omina, Vota, Preces; hæc puræ Fascina mentis
Præ Zoroastræis Cœlum flexura susurris.
Nos licèt incubitu gelidi pressere vapores,

Atque

que Caledoniis agnatus moribus Urſus
ontingat proprior; nec inhoſpita corda Britanni
Diva) Tibi, gerimuſve pium indignantia Sceptrum.
aud ſuperet Perſis Mithræ devota, [4] Cidarin
uæ dicat erectam Regi, Populoque reclinem:
uum tantùm auditus plebi quoque [5] Proditor imæ,
ifando teneras horrore perimbuit aures;
Proditor infamis, Majeſtatiſque Bidental.

(1) *Reſpice initium Ovid. Faſt. l. 5.*

(2) *Chaus, non Chai, a Chaos, contra G. Voſſ. l. 2. anal. cap. 12.*

(3) *Agmen Amorum. Stat.*

(4) *Heſych. Vo. τιάρη.*

(5) *Hoc Elogium exteri quoque nobis concedunt. Eraſ: Not. ad Mim. Publ.*

Πεπίλεια *Anglo-batava*;

Sive,

# *Epithalamium in Nuptias*

# G. A. & M. B. P.

O Hominum communis Amor, cõmunis Amator
Cujus Roma manus, cujus sit pectus Athenæ;
Isthme maritalis, sociali fœdere, sponsans
Angligenas Batavis, duplæ Pons classice gentis;
En Phœben tibi sume tuam, quæ spernere possit
Eclipses, junctoque jubar transmittere Phœbo;
Fiat & Armatrix proprii Cytherea Gradivi:
Pompa sibi est, sua tæda Genæ, Annelloque jugali
Gemmula; formosi Sponsusq;, & Sponsa mariti.
More Monarchali si Te pictura procasset
Principis, in statuam riguisses Virgine visâ,
Pygmalionæo Tabulam miratus amore.
Ecce Cupido suos quàm nunc exoptat ocellos,
Hanc spectandi avidus; Quam si modo viderit, Osiri
Ipse decor rursum attonitos cæcaverat orbes:

Qui

Quæ quamvis vel Nuda queat placuisse; Tonanti
Hæc tamen auripluo Danaë descendit in Imbre:
Tu Venerem, & ritu Venerum simul æquora ducis,
Belgaq; adoptaris Britoni Melicerta Tridenti.
Plusquam Virgineos quod Vis tamen enthea nectit,
Impubesque calent longinqua lampade mentes;
Hoc Genii, non artis opus; Morumque Hymenæus;
Aut Natalitium quod vos contentemperat astrum.
Sic [6] Amor Infanti pepigit connubia mundo;
Sic trahit arcano ferrum conamine Magnes,
Ad thalamos Natura tuos; ita prima (recenti
Mater nupta viro est, & cœli Numen utrisque.
Vestalis binos Elementum accendit amoris,
Absque calore sacris infundens lumina tædis;
Ferre moras Veneris Regalia corda recusant,
Afflatu contenta suo, Mentisque propage;
Angelico nexu gaudent, castâque medullâ:
[7] Sistit Plebeius, quò Regius incipit ardor.
Qualis compositus geminis Torrentibus amnis,
Cognomen sortitur idem; vel Surculus almo
Virgulto insertus, Truncum concrescit in unum;
Aut ambæ coeunt cognata in lumina Flammæ;
Sic individuæ centro coalescitis æquo
Naturæ, & sacrum facitis simul Hermaphroditum:
Unica [8] Virginitas fieri de pluribus Unum.

(6) *Hesiod. Theog.* (7) *Scilicet in* ἀπαιδοποιΐᾳ.
(8) בתולים *Virginitas in plurali duntaxat numero declinatur. Buxtorf. Thesaur.*

*In*

# *In Litem forenſem jam decennio procurrentem.*

ITE Fori Vulpes, Sirenes ite, Togati;
Illaque *Terminæ* ſeries intermina molis;
Legis Ephemerides miræ, æternumque Tribunal;
Jus ſine juſtitio, longævæ ſecula cauſæ,
Certa ſit [29] Ecbaſi quà deſperatio Phœbi.
Lis facit una ſenem; caruere hâc Tartara pœnâ,
Aut Ixionio nimirum eſt luſa rotatu.
Jam majora videns raucæ ſuſſlamina rixæ,
Troja, decennales veſtrî minus ingemo luctas.
Stat tanti periiſſe: Nivis ſic Vellera vitans,
Ad Sentes dum currit ovis, ſua Vellera perdit.

(29) *Egreſſorius Apollo. Apollon: Argonaut: a. v. 966.*

Γαμήλιον.

Τις κάλαμος, τὶς μῦσα φερέγγυός ἐστι κλείζειν
Τοσσατίην Ὑμεναίου ἐπιβρίθοντος ἑορτὴν;
Εἰν ἑνὶ γὰρ πολλοστὸς ἔφυ· Πάλλας, Κύπρις, Ἥρα
Τῇ Νύμφῃ· ὁδὲ Φοῖβος, Ἄρης, καὶ Τερψικέραννος
Ἐξ ἰσομιξείης Ἥρωϊ ξυγγαμέουσι·
Ποῖα φέροι ταύτη βλαστήματα Πουλυγαμίη;

Εἰς

## Εἰς τὸν Ἀριστοτέλη.

Εὐκτὸν Ἀθηναίης [30] γυμνίτεδος ἔνθα θέαδρον
[31] Τειρεσίαο μ̄ ὀξυτέρας θήσειεν ὀπωπάς·
Νεβαφέος καλάμοιο τ' ἀραχνήεσσα μεριμνὴ,
Ὥσπερ Φοιβείου ἀτενεῖ βασανίσματι φωτὸς,
Παλλαδίους ἂν κάρτα διακρίνοιτο νεοσσούς.
Πάνσοφος ὡδὲ νοητὸν ἀριστοτέλεσμα λογιστὴς,
Σεῖραν ἀληθείης τὴν ἀλληλένδετον ἅψας,
Εὗρ' [32] Ἀσκληπιάδης [33] ὀξινιασίφρονι τέχνη.

(30) *Minerva nudo corpore spectata, (Gallimthym. in lav. Pall.) & Serpentum coitus, idem denotabant videnti Tyresiæ; sc.* πρώτην ὕλην τὸ εἶδος ἀναδεχομένην (31 Τειρεσίας *quasi* Τηρεσίας *a* τηρέω, *a* תאר *unde* תור *a* תר *exploratur.* (32) *Aristoteles ex genere Asclepiadarum; & ipse Medicus Philippi.* (33) *Fibras evolvente, explicante, emedullante; arte præcordiorum exfibratrice: allus. ad Anatomiam.* ὀξινιάσαντες *extrahentes fibras, legitur apud Arrian: Peripl. Mar. Eryth. fin: sed in nullo reperitur Onomastico.*

# In *prolixas Periodos.*

COacta gyro verba, ſtrictili nodo
Succincta lumbos, cum micante proceſſu;
Punctim batutus artic'lus cavillorum,
Catapulta linguæ, mentis arietans Arcem;
Gymnaſma docti eſt oris, auris & doctæ:
Duplex tua HERME cura; non caret Suadæ
Caduceo, Talaribus quod armatur.
Aſt illa nex, crux aurium, illa ſed tracta
Teſtudines imitantis heu ſtyli cauda;
Seu Follicantis laxa apludâ ſermonis;
Aut tardiloquium languidæ madens buccæ,
Captivet aures? Scilicet Midæ quales,
Coriaceaſq;, queis nihil ſatis dictum.
Quis Dii ſtupor! quænamve odia Bonæ Mentis!
Cœnum carinâ remigare viſcatâ,
Cedentis ultro nolle Marmoris vitrum!
Ambagem Athenæ tædio novo excutant;
[34] Fit una Spartæ litera, literæ totæ:
Longi loquuntur Saxa, breviloqui Gemmas.

(34) *Una fuit quondam quâ reſpondêre Lacones littera Auſon: Epiſt.* 25.

## In *Smicrinum Incarceratum*.

DUm nil Te ais debere, Te nihil dicis;
Debetur omnis pendere impos, haud debet:
Solvendo si non, es luendo Smicrine.

## *In Aristidem Ostracismo exulantem.*

QUO jure criminoso
Philopatris exularet?
Credendus ergo non est,
Quia neminem fefellit?
